tet ꝙ ſic ſtet ī ſuo ꝓpoſito. ꝙ ſi viueret ęt
naliter. nunq̄ꝫ mortalit᷑ peccare vellet. q̄ ꝺ
neceſſitate ſalutis oportet. ꝙ quilibet ſiue
ſit maſcul⁹ ſiue virgo fęminei ſexus. ꝙ ſic
ſtet ī ſuo ꝓpoſito ꝙ nunq̄ꝫ velit facere ac
tū luxurię. niſi ī matrimonio. Quinto
cōmittit᷑ viſu. vt cū q̇s ex viſu concupiſcit

aliquã ꝑſonã ⁊ ea intẽtione inſpicit vt eã
cõcupiſcere velit. Matth. v. Qui viderit
mulierẽ ad ↄcupiſcẽdũ eã ſcꝫ vt ↄcupiſcẽ-
tia trãſeat ĩ affectũ cordis ⁊ ĩ ↄſenſũ rõis.
vt etiã ſi facultas adeſſet facere diſpone-
ret. iã mœchatꝰ ẽ eã ĩ corde ſuo. Verbi grã
Si qͥs vna die centũ domos ĩtraret. et in
qualibet talẽ ↄcupiſcẽtiã iã dictã ſibi per
viſũ acqͥreret. tot peccata mortalia cõmit-
teret. Ergo maxĩe neccãria ẽ ocloꝝ cuſto-
X dia. ¶ Primo qꝛ ſũt valde veloces ad
nocendũ aĩę. iõ ꝓdonibꝰ cõpant̃. Thren.
iij. Oculus meꝰ depdatus eſt aĩaꝫ meam.
Gen. iij. Vidit igit̃ mulier ꝙ bonũ eſſet
lignũ ad veſcẽdũ. Vñ Greg. dicit: Non
enĩ eua ↄtigiſſet lignũ. niſi pus ĩcaute re-
ſpexiſſet. Itẽ ſecũdo cuſtodiẽdi ſũt oculi.
qꝛ ſũt qͣſi duę portę ĩ caſtro corporis noſtri.
Qui enĩ habet portas alicuiꝰ caſtri. habꝫ
qͣſi ipſũ caſtrũ. Sic ſi diabolus hꝫ oculos
nr̃os. tũc habet caſtrũ corporis noſtri. ⁊ tũc
mors frequent̃ ĩtrat ĩ aĩaꝫ ꝑ feneſtras no-
ſtras. ⁊ ↄſequent̃ ſeqͥtur ꝙ deꝰ nihil habꝫ
ĩ hoĩe ſi oculos nõ hꝫ. recte ſic dñs caſtri qͥ
nõ habet ĩgreſſuꝫ ibi. Vñ chriſtꝰ dicit in
euãgelio. Si oculus tuꝰ fuerit nequã. to-
tũ corpꝰ tuũ tenebroſũ erit. Itẽ tertio cu-
ſtodiẽdi ſũt oculi ⁊ viſus ex ꝑte mulieris.
qꝛ a plãta pedis vſqꝫ ad verticẽ nõ ẽ locꝰ ĩ
muliere ornata. in qͦ nõ ſit poſitꝰ laqueus
diaboli ad capiendũ aĩas. Eccl. ix. Ne re-
ſpicias mulierẽ cõptam. ne forte incidas ĩ
laqueos eiꝰ. qꝛ diabolꝰ vtit̃ mulieribꝰ or-
natis pompoſe tanqꝫ retibꝰ ⁊ tãqꝫ gladijs
ad capiẽdũ ⁊ occidẽdũ. Hiero. Gladius
ignꝰ ẽ ſpecies mulierꝭ. imo etiã gladiꝰ bi-
ceps mulier põpoſe ornata. Hꝫ patet ex eo
ꝙ occidit aĩaꝫ ꝓpriã ꝑ ſupbiã. ⁊ aĩam pri-
Y mi ꝑ luxuriã ⁊ malã ↄcupiſcẽtiã ¶ Que
ritur qͥd faciendũ ſit cũ qͥs videt aliquã
ꝑſonã ornatã ⁊ pulcrã vt ſibi nõ noceat ĩ
aĩa ſua. Rñdetur ꝙ duo cogitãda ſunt.
Primo ꝙ nunqꝫ tantã curã ⁊ diligentiã
habuiſti ad ornãdũ aĩaꝫ tuam ęternalit̃ vi-
cturaꝫ. ⁊ ad cõplacẽdũ deo. ſic iſta ꝑſona
habuit ad ornandũ corpꝰ ſuũ putriduꝫ ⁊
mortale ad cõplacẽdũ mũdo. qͥ ſic dolere
debes ꝺ accidia ⁊ negligẽtia tua ⁊ ꝺ ꝑdi-
tione aĩę illiꝰ ꝑſonę. quã ſic põpoſe vides
ĩcedere. Secũdo cogitãdũ ẽ qꝫ pulcre ſũt
facies electoꝝ ĩ cęlo. ⁊ quõ ornabũt̃ cũ ſto
la glorię: Si ille mortalis hõ qͥ hodie eſt ⁊
forte cras morit̃ tã pulcer ẽ ad videnduꝫ:
Quid tũc erit ꝺ ĩmortalibꝰ poſt iudiciuꝫ
ęternalit̃ viuẽtibꝰ. ⁊ ſic hõ ꝑ hꝫ debet ſibi acqͥ-
rere affectũ ꝑueniẽdi ad cęleſtẽ claritatẽ.
Sciẽdũ ꝙ ſi hõ videt mulierẽ vel vͥginẽ
tanqꝫ rẽ vel imaginẽ pulcrã. nõ malũ co-
gitãdo vel affectãdo. nõ ẽ pctm̃. qꝫuis ſit
incautũ. Greg. Nõ licet videre qꝺ nõ li-
cet ↄcupiſci. Aug. ĩ regľa. Neqꝫ feminas
videre ꝓhibemini. ſꝫ appetere vel ab ipſis
peti velle criminoſũ ẽ ¶ Sexto cõmittit̃ A
locutiõe vel riſu. vt cũ qͥs alloqͥt̃ vel arri-
det aliquã ꝑſonã ea intẽtione vt eã alli-
ciat. ſic peccat mortalit̃. Verbi grã Si qͥs
loquit̃ verbũ iocoſũ ea intẽtione vt illam
ꝑſonaꝫ ad actũ illicitũ alliciat. tũc verbũ
iocoſũ qꝺ alias eſſet veniale. erit ſibi mor
tale ꝓpt̃ ꝑuͦſam intẽtionẽ. Similit̃ intelli
gẽdũ ẽ ꝺ riſu. vt cũ qͥs arridet alicui ꝑſo-
nę ea intẽtione vt iſtã ꝑſonã ad malã cõ-
cupiſcẽtiã ⁊ ad actũ illicitũ alliciat. tunc
taľ peccat mortalit̃ ꝓpt̃ ꝑuͦſaꝫ intẽtionem.
Luc. vi. Vę vob qͥ nũc ridetꝭ. Sꝫ ſi ali-
as arrideret alicui ꝑſonę ꝓpt̃ noticiã. vel
ex qͣdaꝫ leuitate. vel ex ↄſuetudine. vel ex
admiratione. vel ex ioco. tũc vix peccaret
venialit̃ Sciẽdũ ꝙ aliqͥ antiqͥ. ⁊ etiã qñqꝫ
mulieres ⁊ vͥgines. ſepiꝰ loquũt̃ vͥba ſcur
rilia ⁊ luxurioſa. qꝺ ẽ valde repꝛhenſibile.
qꝛ ꝑ hoc oſtẽdũt ꝙ hñt corda impudica.
Quia ſcḋm dictũ chriſti vt habet̃ Matth.
xij. Ex abũdãtia cordis os loqͥt̃. Super
eodẽ vͥbo Chryſo. dicit. Quale cor ha-
bet vnuſquiſqꝫ talia vͥba loqͥt̃ ⁊ opa fa-
cit. Ariſto. iiij. Eth. Qualiſcunqꝫ vnuſ-
qͥſqꝫ ẽ talia dicit. ⁊ talia opat̃ ⁊ talit̃ viuit
Iſido. Qualis ſermo oſtẽdit̃. taľ ⁊ animꝰ
cõꝓbat̃. In cuiꝰ ſignũ ſpũales ꝑſonę ⁊
hoĩes deuoti ſepiꝰ noĩant deũ ⁊ dñm no-
ſtrũ ieſũ chriſtuꝫ ⁊ beatam vͥginem Ma-
riã ⁊ loquuntur de licitis. ⁊ ſemper verba
ſalutaria ꝓferunt. quia habent corda pu-
dica ⁊ caſta. Sꝫ ꝑ oppoſitũ faciũt mali
⁊ ꝑuͦſi ⁊ ĩpudici hoĩes ꝓferẽtes ſcurrilia et

verba luxurioſa. Vñ Iſido· de ſũmo bo-
no. Mali ſmones nõ ſi ĩ ore chriſtiani eſſe non
debent. Nã ſicut malos mores bona collo-
quia corrigũt· ita bonos mores mala col-
loquia corrũpũt. Septimo cõmittitʳ ꝑ
tactũ ĩpudicũ ⁊ ꝑ ãplexus ⁊ oſcła ⁊ hmõi.
q̃ modus ꝑ ap̃lm vocatur turpitudo. Et
iſtud etiã eſt pctm̃ mortale. Et ſm magi-
ſtrũ in compẽdio theologice veritatis· eſt
tanto grauiꝰ pctm̃· q̃nto magis ꝑ talia libi-
do accenditʳ· ꝓpt nimiã approximationem
ad mulierẽ vel ỽginẽ. Tñ ſciẽdũ ſm eun
dẽ magiſtrũ. Tangere mulierẽ ꝓter malã
intentionẽ nõ eſt pctm̃ mortale. Heu hoc
iſti nõ aduertũt q̃ vt frequenter mulieres et
virgines impudice tangũt ſcꝫ amplexan-
B do· oſculãdo· in q̃ deũ grauitʳ offendunt.
¶ Octauo cõmittitʳ ſine actu ꝑ ornatuꝫ
corporis vel alia ſigna ad luxuriã incitãtia.
Verbigrã· vt ſũt illi q̃ nõ cõcupiſcũt nec
actũ ꝑꝑetrare volũt· ſ̵ faciũt vt ɔcupiſcã-
tur· vt multe mulieres· ſimilitʳ ⁊ ỽgines q̃
ad hoc ſe lauãt ⁊ ornant· ⁊ capita ſua diſco-
operiũt· vt amabiliores fiãt· q̃ nõ ſolum ĩ
plateis ⁊ choreis· imo etiã ĩ eccłia corda vi
roꝝ vulnerãt· dũ eis nũc colore albo· nũc
rubeo· nũc familiari colloq̃o· nũc manuuꝫ
iniectione· nũc vultꝰ cõpoſitione. Sic fa-
ciũt iſte q̃ cũ cilicio fricant facies· ⁊ depin
gũt ſe ſicut pictor imagines· ⁊ ꝑ talia laque-
um ⁊ occaſionẽ ruine ꝑſtãt ꝓximis. Et ta-
les q̃ ſic nõ ɔcupiſcũt nec actũ facere inten
dũt· ſ̵ cõcupiſci ab alijs volũt· ſũt occiſo-
res aĩaꝝ· d̃ q̃bus deꝰ rectã rõneꝫ requiret
ab eis· imo d̃ oĩbꝫ aĩabꝫ illis q̃s ſic ad pec-
cata traxerũt. Vñ dicitʳ Exo· xxi· Qui fo
derit ciſternã ⁊ eã apuerit· ⁊ ſi incidit ĩ eã
bos vel aſinus· dñs ciſterne reddet p̃ciuꝫ
dicit glo. Ciſterna apitʳ qñ mulier ornatʳ·
⁊ tũc bos vel aſinꝰ incidit in eã· cũ hõ ꝑ il-
lũ ornatũ illaqueatʳ· tũc illa mulier reddet
rõneꝫ de illis aĩabꝫ. Greg. in moral. Tot
mortibꝫ q̃s dignꝰ eſt· q̃t exẽpla prauitatis
ĩ poſteros reliq̃t· ꝗ virgines ⁊ mulieres nõ
debent ſe pompoſe ornare. Augꝰ li. ad ſa-
cras ỽgines. Pudica virgo nec ornatu ca
pitis nec habitu nec oculis erectis· ſ̵ cum

vultu ad terrã depoſito ꝓcedat· ne ĩ ſe vi-
les inducat ⁊ accẽdat amatores· ⁊ ſi nõ pe-
riat ipſa· tñ nec alijs ꝑditionis cauſa exi-
ſtat. Nono cõmittitʳ ꝑ dona ⁊ munuſcu
la· cũ q̃s dat alicui ꝑſone aliq̃d donũ vel
clinodiũ ea intẽtione vt eã ſic ad malam
cõcupiſcẽtiã ⁊ ad malũ actũ alliciat. Ta-
lis ſic dãs ſiue ſit ꝓ nouo anno ſiue alias
ĩ alio tp̃e· peccat mortalitʳ ꝓpt malã inten
tionẽ· imo mechanicꝰ q̃ preꝑat vel vendit
talia clinodia illi quẽ certitudinaliter ſcit
ſic velle abuti· reus erit illius peccati· ⁊ pec
cat grauitʳ. Inſuꝑ nũcius q̃ ẽ mediator il-
laꝝ ꝑſonaꝝ ⁊ ſcientʳ tali ꝑſone portat tale
donũ vel encenũ ad talẽ malũ finẽ conſe-
quendũ reus erit illiꝰ peccati ⁊ grauitʳ pec-
cat. ¶ Decimo cõmittitʳ qñ aliq̃ libenter C
vellẽt actũ illũ ꝑficere ⁊ bene etiã poſſent·
q: hñt oportunitatẽ loci ⁊ tp̃is ⁊ ꝑſone· ſ̵
ſolũ ꝓpterea dimittũt q: timẽt mundũ· et
ſcandalũ hoĩuꝫ ⁊ ɔfuſionẽ ꝓpriaꝫ. Sed ſi
ſcirẽt ſe poſſe latere in hoc actu· nec deũ nec
ſanctos· nec ꝓpriã ſalutẽ aĩe curarẽt quin
hoc opus ꝑꝑetrarẽt. Et tales q̃ ſic dimittũt
nõ ꝓpt deũ· ſ̵ ꝓpt hoĩes grauitʳ deũ offen-
dũt· q: volũtas eoꝝ deliberata ẽ ad iſtuꝫ
actũ. Vñ Leo papa. Sũt nõnulli q̃ dũ
corde ɔcipiũt pctm̃· faciendũ deliberant·
id tñ timore dimittũt· aut q: ꝓ difficulta-
te implere nequeũt· hi ꝑfecto non in dño
moriũtʳ. Et idẽ intelligitʳ de quolibet pctõ
mortali· q̃d q̃s nõ ꝓpter deũ dimittit ſ̵ ſo-
lũ ꝓpter timorẽ hoĩuꝫ. Verbigrã. Sicut
q̃s nõ choriçãs· vel veſtes p̃cioſas nõ por-
tans ꝓpterea q: pater ⁊ mater vel aliquis
ꝓpinquꝰ eiꝰ nouitʳ defunctus ẽ. Sꝫ ſi hoc nõ
eſſet· ꝓpt deũ nõ dimitteret· ſ̵ omni modo
faceret. Similitʳ qui cõcupiſceret rem ꝓxi-
mi ſui· ⁊ hãc ſibi libenter ſubtraheret· ſi ſu-
ſpendium nõ timeret· tales ſempʳ ſtant in
peccato mortali. Si aũt q̃s ad actũ luxu-
rie ꝓcedit· tunc ſempʳ eſt peccatũ mortale·
vt patet in p̃cedenti ſermone. ¶ Secun- D
do ſciendũ ẽ q̃ illi qui dicunt ſe nõ poſſe
caſte viuere· nec ab actu luxurie poſſe ab-
ſtinere· loquũtur cõtra veritatẽ fidei· q: cũ
adiutorio dei q̃libꝫ homo põt a luxuria ſe

ꝯtinere· ⁊ oppoſitum tenere ſapit heresim.
Cū ḡ qs audet dicere ꝙ etiã cū adiuto-
rio dei nō poſſit ꝯtinent' viuere· tal' loq̇t' ꝯ
p̄mū articulū fidei· vbi dicim⁹. Credo in
deū patrē omnipotētem. Vn̄ etiã aplus.
Oīa poſſū ī eo q̇ me ꝯfortat. Vn̄ patet ex
h̄ ꝙ qlibet pōt caſte viuere· q̃ ſi ꝑ vnum
actū luxurię deberet ꝑdere oīa bona tpa-
lia ſua· vel ſi ſciret ſe amiſſurū pedē vl' ma-
nū· vel ambos oculos· vel ſi ſciret p̄para-
tū igneum lectū in q̇ deberet cremari· ſic̄
beat⁹ Laurēti⁹ ī craticula· omnino abſti-
neret ⁊ nunq̃ vſq̃ ad mortē aliquē actū
luxurię ſcient' ⁊ volūtarie ꝑpetraret· quare
tūc nō magis ꝓpt' deū ⁊ ꝓpt' ſalutē ꝓpriã· ⁊
ꝓpt' ęternã dãnationē euitandã debes a
luxuria abſtinere Ergo ſummū remediū
qn̄ qs tēptat' a luxuria ē· ꝙ hō ſeipſū cruci
at flagellet vel alias puniat corpus ſuū· ⁊
ſubtrahat ſibi d̄ cibo ⁊ potu. Vn̄ Hugo
d̄ ſancto victore. Parca eni vita occidit
vitia. libidinē extinguit· v̄tutē nutrit· ani
mã roborat· mentē ad cęleſtia eleuat. Qꝛ
aūt punitio corpis extinguit luxuriã· patꝫ
d̄ beato Benedicto q̇ ꝓpt' ardorē luxurię
ꝓiecit ſe int' ſpinas ⁊ vulnerauit corp⁹ ſuū
⁊ ſic ꝑ vulnera carnis extinxit ardorē libi-
dinis. Itē legit' d̄ beato Bernardo ꝙ ſe-
mel īmerſit ſe ī gelidã aquã ꝓpt' vehemen-
tē tēptationem carnis. Qꝛ aūt ſubtractio
cibi ⁊ potus extinguit luxuriã patet ꝑ exē-
plū. Erat q̇dã adoleſcēs q̇ ex intuitu illi-
cito ī ꝯcupiſcētiã carnis vehement' ꝯtra ho
neſtã ⁊ pulcrã mulierē acceſus fuit· h̄ ipſa
repulit eū ſepi⁹· vn̄ ſemel ipſe dixit: ſi non
ſuã volūtatē adipleret oporteret eū mori
tūc ipſa aſſignauit ei diē locū ⁊ horã qua
deberet venire ad eã· cū ipſe aūt venit· tūc
illa dixit· tua volūtas nō adimplebit' ni-
ſi p̄ ꝯſenſeris mihi ī vna petitiōe· ⁊ ipſe li-
bent' cōſenſit· ⁊ ipſa cōcluſit eū ī vna came-
ra ꝑ triduū ſine cibo ⁊ potu· ⁊ quarto die
p̄parauit vnū locū cū mēſa ibi poſita q̄ fuit
plena bonis ferculis cibariis et potib⁹. Et
ex oppoſito p̄parauit lectū pulcrū· ⁊ dixit
iuueni· optionē tibi do an velis comedere
vel bibere· vel volūtatē tuã mecū adiple-
re· ⁊ volūtate tua pacta ecōuerſo includã
te· ⁊ iam nō guſtabis quicq̃ in comedēdo
⁊ bibēdo· tūc iuuenis· ego iã ita fatigat⁹
⁊ attenuat⁹ ſum fame ⁊ ſiti· ꝙ ignis cōcu-
piſcētię tot⁹ refriguit· ⁊ iam nullã cōcupi-
ſcentiã erga te habeo. Sꝫ me delectat co
medere ⁊ bibere magis q̃ aliq̇d aliud fa-
cere· Et ipſa dixit: O nequã cur dixiſti ꝙ
oporteret te mori· niſi ego tibi cōſentirem
Vade ⁊ qn̄ ampli⁹ ſic acceſus fueris tunc
abſtineas te a cibo ⁊ potu· ⁊ ſic poteris car
nis cōcupiſcētiã extinguere ⁊ caſte viuere.

¶ Dn̄ica tertia poſt feſtū trinitatis Sermo· lxxxvij· de conuerſione peccatoris.

Gaudium erit corã angelis dei ſup ꝑ vno pec
catore pnīã agente· Luc· xv
Math. xviij. Valde magna ⁊ p̄cioſa ē
pnīa pctōꝝ· d̄ q̄ angeli tm̄ feſtū faciūt tan
tū q̃ gaudiū hn̄t. Bern̄· ſup Cant· Gau
dent angeli ī pctōꝝ ꝯuſione ſalutē hoīum
ſitiētes. Lachrymę eni pęnitētiū ſūt vina
angeloꝝ. Vn̄ merito dr̄ in v̄bis p̄miſſis:
Gaudiū erit corã angelis dei ⁊c. Vn̄ ſci-
endū ꝙ tria ſūt ī p̄ſenti ſmone dicenda.
Primo quō tota trinitas ⁊ ſancti ange-
li gaudēt d̄ ꝯuerſione pctōꝝ. Secūdo q̄-
re oēs hoīes debēt gaudere d̄ pnīa pctōꝝ
Tertio q̄re demones gaudēt d̄ dãnatiōe
pctōꝝ. Quantū ad p̄mū notandū ꝙ d̄
nr̄a ꝯuerſiōe nō tm̄ gaudēt angeli· h̄ etiã
tota trinitas· ſcꝫ pater ⁊ fili⁹ ⁊ ſpūſſanct⁹.
¶ Primo gaudet pater qꝛ multū gau- E
det rex terren⁹ qn̄ fili⁹ ſibi ꝯcipit'· ſic̄ lętat⁹
ē abrahã d̄ ꝯceptu Iſaac· ⁊ magis gaudet
qn̄ naſcit'· ſic̄ gauiſi ſūt Zacharias ⁊ Eli-
zabet ī ortu p̄curſoris ſcꝫ Iohãnis bapti
ſtę· adhuc magis gaudet qn̄ fili⁹ ablacta
tur. Vn̄ Abrahã fecit magnū ꝯuiuiū ī ab-
lactatiōe Iſaac vt habet' Gen̄. xxi. Sed
multomagis gaudet qn̄ fili⁹ grandis ef-
fectus ad menſam ſuã accedit. Pater igi-
tur cęleſtis d̄ filio ſpūaliter ꝯcepto· nato·
ablactato· ⁊ ad menſam recepto· multum
gaudet. Conceptio aūt attenditur in cō-
tritione ſiue in boni ꝓpoſiti conceptione.
Natiuitas attēdit' in ꝯfeſſione ⁊ in pctōꝝ

exꝑſſione ⁊ bonoꝝ opū multiplicatiōe vel
oſtenſione. Ablactatio attenditur in vite
ꝑfectione ſcꝫ qn̄ hō ꝓficit ī bonis opib⁹ et
virtutib⁹. Vn̄ ps. Ibūt de v̄tute in v̄tu-
tē. Ad mēſam receptio attēdit̄ ī celeſti re-
fectione. Juxta illud Luc. xxij. Edatis ⁊
bibatis ſup mēſaꝫ meā ī regno meo. Se-
cūdo d̄ ꝯuerſione pctōꝝ gaudet fili⁹ qꝛ vi-
det effectū paſſionis ſue. qd̄ notat̄ in euan
gelio hodierno. ī iſta pabola. ſcꝫ de oue ꝑ-
dita ⁊ inuēta. Vn̄ Greg. Vna ouis ꝑijt
qn̄ hō peccādo paſcua vite reliq̄t. In hu-
meros aūt ponit. qꝛ ipſe peccata nr̄a ī cor-
pe ſuo portauit. De h̄ Aug⁹ li. v. ꝯtra he-
reſes dicit. Tu(inq̄t ad peccatoreꝫ ieſus
chriſtus (cū eſſes īimic⁹ patri meo recōci-
liaui te. cū eſſes lōge. ego veni redimere te.
cum inter montes ⁊ ſiluas errares q̄ſiui te.
humeris meis portaui te. patri meo red di-
di te: laboraui. ſudaui. caput meum ſpi-
nis oppoſui. manus meas clauis obieci.
lancea latus aperui. tot nō dicā iniurijs
⁊ aſperitatib⁹ lacerat⁹ ſū. ſanguinē meum
fudi. aīam meā poſui vt ꝯiūgerē te mihi.
⁊ tu diuideris a me. Tantū aūt deſideriū
d̄ oue inueniēda habuit. qꝫ etiā deſertum
i. celū dereliq̄t qd̄ dr̄ deſertū. i. derelictuꝫ
ab angelo celū. ſcꝫ cui⁹ fuit ībabitator re-
plātat⁹ dereliquit. ⁊ ī terrā veniēs vaſtiſ-
ſimū q̄ſi deſertū humanitatē aſſūpſit. vt
ſic ꝑditā ouiculā. i. ipſū hoīeꝫ celeſti ha
bitationi ꝑ angelū iam deſerte reſtitueret
⁊ ruinā angeli repararet. Ideo ꝗ celū vnde
angelus cecidit deſertū dici pōt. tū qꝛ ad
inſtar deſerti ī eo ſūt dulces cant⁹ auiū. i.
angeloꝝ. tū qꝛ ibi ſūt roſe martyrū. viole
ꝯfeſſoꝝ. ⁊ lilia virginū Tertio d̄ ꝯuerſiōe
pctōꝝ gaudet ſpūſſanct⁹. qꝛ ex ea recupat
tēplū ſuū qd̄ debet ībabitare. Juxta illd̄
i. Cor. iij. Neſcitis qꝫ tēplū dei eſtis vos
⁊ ſpūſſanct⁹ habitat ī vobis. Sꝫ inhabi-
tare nō pōt. niſi ſpūs malign⁹ recedat. ij.
Cor. vi. Que aūt ꝯuentio chriſti ad be-
lial. qs aūt cōſenſus templi dei cū idolis?
Secūdo gaudet ſpūſſanctus. qꝛ recupat
mēbrū ſuū qd̄ debet viuificare. i. Cor. vi:
An neſcitis qꝫ mēbra vr̄a ſunt templū ſpi-
rituſſancti? Videm⁹ aūt qꝫ mēbrū ꝑciſū
vel putridū vel paraliticū non viuificat̄ a
ſpiritu humano. eodeꝫ mō nec peccator a
ſpū diuino. qꝛ diuiſus eſt a deo. Eſa. lix.
Iniq̄tates vr̄e diuiſerūt int̄ vos ⁊ deum
veſtrū. Tertio gaudet ſpūſſanct⁹. qꝛ recu-
perat vas ſuū qd̄ dꝫ īplere. Oportet autē
qꝫ illud vas ſit vacuū ab amore mundi ſi
dꝫ impleri amore dei. Aug⁹ ſup Johānē
Vas es ſꝫ plen⁹ es funde qd̄ habes. funde
amorē ſeculi vt īplearis amore dei. Si-
militer angeli gaudēt d̄ ꝯuerſione pec-
catoꝝ triplici d̄ cauſa. Primo qꝛ vident
ſue cuſtodie tā glorioſū fructuꝫ. Cuilibet
enī homini angel⁹ ad cuſtodiā delegatur
Vn̄ ps. Angelis ſuis mandauit d̄ te ꝛc.
Quia angel⁹ ſemꝑ cuſtodit hoīeꝫ dū ē in
ꝑſenti vita. ſiue ſit ī lecto. ſiue ī cāpo. ſiue ī
eccleſia. ſiue in q̄cūqꝫ locoꝝ. Bern. In q̄-
uis diuſorio. ī quis angulo reuerētiā exhi
be angelo tuo. nec audeas illo ꝑſente. qd̄
me vidēte nō audeas. Itē ille deū eſſe nō
credit. q̄ ea ꝑſente deo facit. q̄ ꝑſentib⁹ ho
minib⁹ facere ꝑtimeſceret. Item Hiero⁹
Magna dignitas aīaꝝ. qꝫ aīa vnaqueqꝫ
ab ortu natiuitatis ſui cuſtodiā hꝫ angelū
deputatū. Sic igit̄ medic⁹ gaudet qn̄ vi-
det effect⁹ medicine ī infirmo ꝓdeſſe. ſic gau
det angelus qn̄ videt erga hoīeꝫ ſue cuſto
die effectū. Ecōuerſo d̄ caſu hoīs ī pctm̄ ⁊
ei⁹ ꝑditiōe multū dolet. Juxta illud Eſa.
xxxiij. Angeli pacis amare flebāt. Secūdo
gaudēt. qꝛ vidēt ex pctōrib⁹ ꝯuerſis ſuum
adimpleri numeꝝ. Cū enī tot aſcēdant de
hoīb⁹. q̄t ceciderūt angeli ſiue etiā reman
ſerūt. Juxta illud: Statuit terminos po-
puloꝝ. iuxta numeꝝ filioꝝ dei. manifeſtū
ē qꝫ ruina dꝫ d̄ hoīb⁹ reparari. ps. Implebit
ruinas. ꝯq̄ſſabit ꝛc. Ideo multū gaudēt
qn̄ ꝯuertunt̄. vt d̄ ipſis coꝝ numer⁹ repet̄.
Tertio gaudēt qꝛ vidēt ī laudādo deuꝫ
ſe hr̄e ꝯſortiū. qꝛ ſic angeli ſemꝑ laudant
deū in celis. ſic homo exiſtēs ī gratia. con-
tinue laudat deum in terris in omnibus
que facit ad honorē dei. quia iuſtus ſem-
per orat. q̄diu iuſtus eſt. ⁊ non ceſſat ora-
re qui non deſinit bene agere. Ambroſius

Vnuſquiſq; ꝯuerſionē ſuā gratam cre-
dat eſſe deo etiā cetibꝫ angeloꝝ· quorum
affectare patrociniū ⁊ vereri debet offēſā.
Et ꝓpt̄ iſtas duas vltimas rōnes nō ſolū
gaudēt angeli· imo etiā beata virgo Ma
ria ⁊ oēs ſancti gaudēt ꝺ ꝯuerſiōe pctōꝝ.
B ¶ Circa ſecundū ſciendū ꝙ ꝺ ꝯuerſione
oēs hoīes gaudere debēt. Et hꝰ ꝓpter tria.
Primo ꝓpt̄ honorē dei q2 maximū de-
decus deo exhibitū ē et exhibet̄ peccando
mortalit̄· ⁊ hꝰ ꝓpt̄ ſuā īfinitā potētiā ⁊ ma-
ieſtatē. Sic ſi rex terrenꝰ inhonoret̄ a ſuo
paupe ſuo vel vili· nōne magnū eſtima-
ret̄ dedecus eſſe· ꝓpt̄ potētiā ⁊ regis maie-
ſtatē· ⁊ ꝓpt̄ ſui vilitatē. Et ſignant̄ cum hꝰ
ſibi fieret ab hoīe deſpecto cui multa bona
feciſſet· ſic ē ꝺ deo. Secūdo ꝓpt̄ ſuā in-
finitā bonitatē· q2 qn̄ minꝰ bonū eligit̄ ꝓ
optimo bono· tūc maius bonū multū vili-
pendit̄. Sic ꝯtigit qn̄ creatura ꝑ creato-
re diligit̄ ⁊ eligit̄· vt cū hō ꝯūtit ſe ad deli-
tias corpis ⁊ ꝑpoīt iſtas deo ⁊ gaudijs ce-
li· ē peccator q̄ ſcient̄ peccat maiꝰ dedecus
exhibet deo q̄z iudei q̄ aliqualit̄ ignorant̄
fecerūt· ꝫ malꝰ chriſtianꝰ ſcient̄ peccat· nō
ſolū ex infirmitate vel ignorātia ꝫ ſepe ſci-
enter ⁊ ex certa malitia· ⁊ ſic deū multū in-
honorat. Sꝫ qn̄ peccator penitet tūc reho
norat deū penitēdo quē ꝑus īhonorauit
peccādo· ⁊ placat deū ꝑ penitētiā quē an-
te offendit ꝑ culpā. Tertio gaudere de-
bemus ꝺ ꝯuerſione pctōꝝ ꝓpt̄ fraternam
charitatē· q2 ꝓximū diligere teneor ſic me-
ipſū· ⁊ fauere ſibi vitā beatā ſicut ⁊ mihi
grām ī ꝑſenti· ſcꝫ ⁊ gloriā ī futuro. Sic cū
peccator penitet· tūc erit ꝑticeps vite ēt̄ne
ē gaudere debemꝰ ꝓpt̄ fraternā charitatē
quā tenemꝰ ꝓximo. Sciendū ꝙ hō ſeipſū
debet diligere ꝓpt̄ deū ſcꝫ eo ꝙ ſit recepti-
bilis gratie ⁊ glorie· ⁊ hō non debet ſe dili-
gere ꝓpt̄ ſeipſū· q2 hꝰ ē peccatū ſcꝫ ꝙ hō ſe-
ipſū diligat· vt ſcꝫ comedat· ſupbiat· lu-
xuriet̄· ⁊ vtat̄ bonis ꝑſentibꝫ ī delitijs vi-
uendo· vel q2 potens eſt ⁊ plura bona poſſi
det· vel q2 honorat̄ ab hoībꝫ ⁊ ſic de alijs.
Quarto gaudere debemꝰ ꝺ ꝯuerſione
peccatoris ꝓpter numerū electoꝝ qui com-
plebit̄ ꝑ eū· ⁊ ꝓpter gaudiū qꝺ ſumꝰ habi-
turi de eo in celo q̄ ꝯuertit̄ a peccatis ⁊ deo
amplꝰ ſuire ꝓponit. Sciendū ꝙ peccatū
cedit homini penitēti ī bonū in celo ⁊ etiā
ſanctis ⁊ electis· q2 penitēs ꝓpter hꝰ deum
ēt̄nalit̄ laudabit ⁊ glorificabit· ꝙ ſibi pec-
cata ſua hꝰ in terra indulſit et ab infernali
incendio liberauit· q2 cernit multos ī infer
no· q̄ forte minus peccauerūt q̄z ipſe pecca-
uit. Et q2 deꝰ talē miſericordiā ⁊ grām eis
nō exhibuit ſic̄ ſibi fecit· ex hꝰ deū ēt̄nalit̄
plꝰ diligit ⁊ regratiat̄. Queritur Vtꝝ
electi videāt peccata alioꝝ ī celo exiſtētiū.
Rn̄det̄ ꝙ ſic· ⁊ hꝰ nō eſt ipſis q̄ peccauerūt
ī ꝯfuſionē ꝙ oēs electi cognoſcūt peccata
eoꝝ· ꝫ erit eis ī honorē. ſ. ꝙ a peccatis ceſ-
ſauerūt ⁊ verā pniām egerūt· ⁊ erit ipſis ſan-
ctis in gaudiū ex charitate q̄ ſe ī celo mu-
tuo diligūt· q2 vidēt ꝙ frater eoꝝ q̄ fuerat
mortuꝰ ꝑ peccatū qꝺ cōmiſit ī mūdo ⁊ re-
uixit ꝑ pniām ⁊ ſatiſfactionē· ꝑierat ꝑ cul-
pā· ⁊ inuētus eſt ꝑ grām. Et ergo oēs ſan-
cti in celo laudāt verū medicū· i· chriſtū q̄
fratrem ipſoꝝ ſanauit· ⁊ ꝺ morte culpe ad
vitā grē reduxit. Sic pater vel frater· ma-
ter vel ſoror cuiꝰ filiꝰ vel cognatꝰ dilectus
a mortuis ſuſcitaret̄· vel a ḡui infirmitate
curaretur· tūc illi oēs valde exultarent· ⁊
illū medicū laudarent. Sic ⁊ oēs ſancti
angeli ī celo. ¶ Circa tertiū ſciendum ꝙ D
demones ꝓpt̄ nouē cauſas gaudēt de dā-
natione peccatoꝝ· ſicut angeli gaudent ꝺ
eoꝝ ꝯuerſione. Primo q2 deus nūq̄z ha-
bebit aliquā de illis gloriā q̄ damnantur
ſed oēs labores quos in mundo iſto· xxxiij
annis pertulit· in illis perditi ſunt. Inſuꝑ
omnia bona que ſibi fecit· ſiue in ſanitate
corpis· ſiue in exhibitione ⁊ largitione reꝝ
tempalium ⁊ honorū· omnia iſta in eo ꝑ-
dita ſunt qꝺ chriſtus cōquerit̄ ꝑ ꝓphetā
Dauid. Inuacuū laboraui· ⁊ fruſtra con-
ſumpſi fortitudinē meā. Et hec fuit vna
ꝺ maximis tribulationibꝫ ⁊ paſſionibꝫ q̄s
chriſtus tpe paſſionis ſue habuit· q2 cog-
nouit ſuā amarā paſſionē fruſtrari ī plu-
ribus prauis hoībus. Secūdo ꝙ hō dam-
natus de cetero nunq̄z aliquid boni ꝺ deo

habebit·qꝛ nec vnā guttam miſericordię dei nec eccleſię ſubſidia fiēda ꝓ defunctis ꝓſunt illi·qꝛ ī inferno nulla ē redemptio. Vñ Aug⁹ dicit. Si pr̄ez meū ſcirē ī inferno·nō pl⁹ orarē ꝓ eo q̄ꝫ ꝓ diabolo. Greg. xi·li·moral·Quiſq̄s ad inferni mala tolerāda deſcēdit·nequaq̄ꝫ ad lucē vlterius redibit·qꝛ nequaq̄ꝫ vlt̄ miſericordia ꝑcentis liberat·q̄s ſemel ī loci pęnalibꝫ iuſticia dānantis dānauit. Tertio gaudēt demones·qꝛ ſociū pęnaꝝ hñt q̄ eoꝝ numeꝝ augmētet. Quarto eo ꝙ angeli d̄ cętero nunq̄ꝫ habebūt lęticiā d̄ eo ſcꝫ q̄ntū ad ꝯuerſionē·qꝛ nunq̄ꝫ pęnitebit veraciter d̄ pctīs talis dānat⁹·qꝛ oēs dānati ī iferno ſūt obſtīati ī malicijs·⁊ angeli ⁊ beati ī cęlo exñtes gaudēt d̄ h̄ ꝙ vidēt eos ī pęnis. ps. Lętabit̄ iuſt⁹ cū viderit vindictam. Quāuis enī āgeli ⁊ ſācti videāt pęnā dānatoꝝ·nullā tñ cōpaſſionez hñt ad eos. Etiā ſi q̄s viderit patrē vel matrē·vxorez vel filios·nō cōpateret̄ eis·qꝛ ſic cōiuncti ſunt deo ⁊ vni⁹ volūtatis cū eo·vt quicq̄d ſibi ⁊ ſuę iuſticię placet·h̄ etiā eis ſimiliter placet·imo gaudiū ē eis videre pęnā dānatoꝝ·qꝛ vidēt mala q̄ ipſi euaſerūt·⁊ de h̄ deū ętnalit̄ laudabūt ⁊ ſibi regratiabūt

3 ¶ Queritur hic an dānati etiā videant gloriā beatoꝝ. Rñdet̄ ꝙ ſic·⁊ hoc ideo vt ipſi ex h̄ torqueant̄. Tū ſcꝫ ꝙ vidēt gloriā ineſtimabilē beatoꝝ. Tū ꝓpt̄ inuidiā īuidēdo eis fęlicitatē ipſoꝝ. Tū qꝛ ipſi talez gloriā amiſerūt ꝓpt̄ momētaneū gaudiuꝫ hui⁹ mūdi·⁊ ꝓpt̄ diuitias ſęculi ⁊ voluptates carnis. Sꝫ poſt extremuꝫ iudiciū tunc ampli⁹ nō videbūt gloriā beatoꝝ·non tñ ex h̄ minorat̄ eoꝝ pęna ſ̄ auget̄. Tū quia memorant̄ iſtā gloriā quā ī beatis viderūt ī iudicio ⁊ ante iudiciū Tū qꝛ indigni ſūt ꝙ ampli⁹ eos videāt. Vñ ſcriptū ē: Tollat̄ impi⁹ ne videat gloriā dei. Quinto gaudēt demones de pctōꝝ dānatione ex h̄·qꝛ ipſi hñt materiā in q̄ crudelitates ſuas refrigerāt. Peior enī ē demon oī homine inimico·homini enī ſufficit inimico ſuo mortē inferre·demon v̄o poſt mortē deſiderat inimicum ſuū cruciari imꝑpetuum.

Sexto qꝛ dānati ī inferno ex̄ dānatiōe alteri⁹ ſuꝑuenietis q̄ ad aliq̄d oēs pei⁹ habēt. Sic econu̇ſo ī cęlo oēs ſancti melius hñt. Vñ grit̄. Vtrū dānati vellent oēs hoīes dānari·ex q̄ ſciūt ex h̄ pęnas eorum augmētari. Rñdet̄ ſm ſanctuꝫ Tho·ſuꝑ iiij·ſen·diſ·l·ꝙ ſic. Etiā ꝑentes ſuos ⁊ cognatos·vxorē ⁊ filios·⁊ h̄ ꝓpt̄ maximā inuidiā q̄ ē ī eis. Sic in beatis ē ꝑfectiſſima charitas·ita ⁊ ī eis ē infectiſſima inuidia q̄ facit appetere alioꝝ malū. Docet tñ paꝫ ī illis inuidioſis viuētibꝫ ī h̄ ſęculo·in q̄bꝫ tñ adhuc nō ē adeo infecta inuidia. Sed tñ dānati min⁹ ꝓpinq̄s inuidēt q̄ꝫ alienis Vñ eoꝝ pęna maior eſſet ſi oēs ꝓpinq̄ dānarent̄·⁊ alij oēs ſaluarent̄·q̄ꝫ ſi ⁊ aliq̄ de ſuis ſaluarent̄. Et ꝓpt̄ h̄ fuit ꝙ diues epulo petijt fratres ſuos a damnatione eripi. Cogitabat enī ꝙ aliq̄ eripent̄·⁊ illos voluit eſſe ſuos fratres potius q̄ꝫ alios·tñ ſi poſſibile eſſet poti⁹ mallet oēs ſimul dānari·Septimo qꝛ demones gaudēt ſpecialit̄ ſe eſſe ſecuros d̄ beata v̄gine·ꝙ illū hoīez d̄ cętero eis nō auferat Multos enī eis aufert h̄·q̄s q̄ſi ꝓximos poſſidēt. Infinitos enī pctōres a morte ęterna liberauit ꝯuertēdo ſentētiā. Exēplū d̄ Heſter quę ꝓplm ſuū etiā poſt ſentētiā datā·poſt lr̄as dānationis ſcriptas ⁊ ſigillatas ac publice ſuſpēſas a morte liberauit·⁊ amicos regis ꝯſtituit. Sic ſimile ītelligit̄ d̄ beata v̄gine. Octauo qꝛ gaudēt valde d̄ diu̇ſitate pęnaꝝ ⁊ acerbitate·q̄s in illis vident quos intuent̄ ī maioribꝫ pęnis·d̄ illis enī plus gaudēt q̄s ī profundioribꝫ amplioribuſq̄ꝫ pęnis cog̊ſcūt ęternaliter ꝑmanere Nono gaudēt maxime·qꝛ ſunt ſecuri ꝙ pctōꝛ ꝑ pniaꝫ nō ꝯuertat̄·q̄ pęnitētia infinitos eis abſtrahit·vt patet ī vtroq̄ꝫ teſtamēto ī Dauid·ī Paulo·ī Maria magdalena·⁊ ſic de alijs·qꝛ pęnitentia reſpectu dei ⁊ peccatoris eſt omnipotēs. Nulla enī creatura neq̄ꝫ ī cęlo nec ī terra·nō oēs martyres neq̄ꝫ apoſtoli·ꝓphetę·ꝯfeſſores·neq̄ꝫ virgines·h̄ ſola pęnitētia placat deū peccatori. Math.iiij. Pęnitentiā agite appinq̄bit enī regnū cęloꝝ. Ezech.xviij.

Si impi⁹ egerit pniã; de oĩ peccato ſuo · vita viuet. Sʒ demones certi ſũt · q̃ dam nat⁹ ampli⁹ nõ põt agere pniã; ſalutarẽ · q̃ gaudẽt · imo demones nõ ſolũ gaudẽt de dãnatione pctõꝝ ſʒ etiã gaudẽt de lapſu iuſtoꝝ hoĩuʒ. Vñ legit̃ ĩ vitaſpatꝝ. Quidã monach⁹ fili⁹ ſacerdotis idoloꝝ cũ p̱uulus eſſet ⁊ ſederet ĩ templo idoloꝝ ⁊c. Quere h̄ exemplũ ſupra ſmone · xl · E.

¶ De eadẽ dñica de · ix · choris angeloꝝ Sermo · lxxxviij ·

Gaudiuʒ erit coram angelis dei ſup vno pctõre p̱nitentiã agẽte. Luc · xv · Gregi · dicit q̃ ſup̱na ciuitas ex angelis ⁊ hoĩb⁹ ↄſiſtit. Cũ g̃ hoĩes licet viles vermiculi vtpote de terra creati ĩ angeloꝝ ↄſortio debẽt deputari · ita vt ſane ſm q̃ plus ⁊ min⁹ hñt ĩ meritꝭ · ſup̱ vel infra ad meritoꝝ cõpationeʒ cum angelis collocent̃. Ideo cũ ſũma diligentia laborandũ ẽ ⁊ conandũ · vt q̃libet ad h̄ p̱ueniat · h̄ ẽ · vt q̃libet laboret ſuis exercitijs vt ad angelos ſit venturus. Cũ eñi p̱mia correſpondent meritis: Iuxta illud Matth · vij · Eadeʒ mẽſura q̃ mẽſi fueritꝭ remetiet̃ ⁊ vobis. Et iuxta illð apl̃i: Que

L eñi ſeminauerit hõ h̄ ⁊ metet. ¶ Certũ ẽ · ⁊ ĩdubitata veritas fidei chriſtianę tenet · vt infimi ĩ meritis erũt ⁊ infimi ĩ p̱mio ĩ cęlo · ⁊ mediocres cũ medijs ⁊ ſup̱mi cũ ſup̱mis angelis ordinabũt̃. Hec ↄſequẽdo p̱ ordinẽ. Primo videamus q̃ ad infimũ ordinẽ · h̄ ẽ ad angelos collocent̃ · ⁊ ſunt q̃ cũ ĩfimis ⁊ mĩmis meritꝭ trãſeũt de hac vita Illi aũt minima hñt merita · qui ex ſeipſis nihil hñt ⁊ ſolũ ĩ chriſti meritꝭ aſſumũt̃ nõ q̃ chriſti merita ĩ ſe ſint minima ſʒ q2 de ſuis nihil penit⁹ addiderũt. Quoꝝ ſũt duo genera · ſcʒ p̱uuloꝝ poſt baptiſmũ decedẽtiũ · ⁊ pctõꝝ p̱ finalẽ pniã; ſeſe ↄũtentiuʒ · q̃ cũ nihil de ſuis penit⁹ appoſuerũt ad infimũ ordinẽ · h̄ ẽ ad angelos aſſumũt̃. Ipſi eñi ſũt q̃ minima annũciãt · i · deo nũciant minima merita ſe hr̃e. Ergo q̃ decedunt ĩ baptiſmali innocẽtia ⁊ ĩ finali p̱nitẽtia · vt q̃ ex neceſſitatꝭ articulo p̱pediti · nec cõfeſſionẽ nec ſatiſfactionẽ aliquã addiderũt · ſʒ ſolũ ĩ ↄtritiõe eis peccata ĩdulta ſũt ⁊ ſic decedũt · hi q̃ infimi ſunt ĩ meritis · iõ ⁊ ad locũ infimũ · h̄ ẽ ad angelos deputantur. Nõ eñi negamus eis veniã q̃ntũcũq; ſero p̱niteãt · dicẽte Aug · Nlla pnia põt eſſe nimis ſera dũmõ ſit vera · ⁊ ideo ex tali pnia ↄcedim⁹ eis aptionẽ regni · ſʒ q2 nudi ſunt p̱prijs meritis · ideo exigẽte dei iuſticia ĩ infimis locis collocent̃. Et nihilomin⁹ tñ ĩ illo choro hẽbũt magnũ gaudiũ q2 cęleſtes milites ⁊ angeli ĩ iſto choro exiſtẽtes eos lęte ſuſcipiũt ⁊ honorifice eis ſeruiunt · et tm̃ honorẽ eis exhibẽt · q̃ admirari pñt · tũc ⁊ chriſt⁹ põt dicẽ eis: Nõ miremini · ego ſuiui vob · xxxiij · ãnis ĩ terris · q̃re merito angeli mei ſuire vob debẽt ĩ cęlo. Scðs chorus ẽ ſctõꝝ archangeloꝝ q̃ magna nũciãt ⁊ ſecreta reuelãt · ſicut p̱phetias · ⁊ dei ſecreta pl⁹ cognoſcũt q̃ʒ inferiores angeli. Ergo gabriel fuit de iſto choro q̃ ĩcarnationẽ chriſti ⁊ etiã natiuitatẽ iohãnis baptiſtę annũciauit. Ad illum choꝝ p̱ueniũt iſti hoĩes q̃ ſup̱ cordis ↄtritionẽ addiderũt fęliciſſimã oris ↄfeſſionẽ cũ debitis circũſtãtijs · ĩ ſacerdotis audiẽtia fidelit̃ p̱ponẽtes · ⁊ nihil ex oĩb⁹ cõtingẽtib⁹ obmittẽtes. Talis eñi ↄfeſſio q̃ ſic ſtatim ab ore p̱gredit̃ · oĩuʒ ĩpetrat veniaʒ pctõꝝ. Gregi · Cõfeſſionem nr̃aʒ ex puro corde deſiderat de⁹ · Quo g̃ iſti niſi inter archangeloꝝ deputarẽt̃ numerũ: Cũ eñi p̱mi ex ſola cordis ↄtritione inter angelos aſſumũt̃ · merito iſti q̃ pl⁹ egerũt ſup̱ addẽtes confeſſionẽ · alti⁹ ĩ archangeloꝝ ordinem aſſumunt̃ · ⁊ merito iſti ſecundi inter eos collocant̃ q2 magna nũciãt · q2 reuera maximũ eſt ⁊ maxima nunciant · qui peccata ſua pure denũciãt ſacerdoti. Gregi · In pleniſq; verecundis hoĩbus maioris ẽ certaminis ↄfitenda feda detegere · q̃ʒ ea nõ ↄmittẽ · Iſido · Cõfeſſio ſanat · ↄfeſſio iuſtificat · ↄfeſſio pctis veniã dat. Oĩs eñi ſp̱es ĩ ↄfeſſiõe exiſtit. In ↄfeſſiõe loc⁹ ẽ miſericordię. Et ĩ illo choro ẽ adhuc maius gaudiũ q2 ibi recog̃ſcimus abyſſũ diuinę volũtatis · ⁊ ibi cog̃ſcim⁹ effectus ⁊ cauſas

rerū in deo· ſcʒ quare h̄ vel h̄ ſit·i· qr̄e iſte
eſt diues ⁊ ille paup·iſte ē pulcer ⁊ ille de-
formis·qr̄e vn⁹ morit̄ ⁊ alter viuit· Ter-
tij angeli vocant̄ virtutes·⁊ ſunt illi ſpūs
p quos ſigna ⁊ miracl'a fiūt frequent̄· Et
ideo dicūt̄ ꝟtutes·qꝛ virtus diuina relu-
cet ī iſtis·ſcʒ ꝙ ipſe ſit oīpotens·⁊ ꝙ nihil
pōt reſiſtere ei. Et qñ dn̄s vult aliq̇d fa-
cere qđ ē ꝯtra naturā qđ ſcʒ ſolū fit mira-
culoſe: ſic̄ cecos illumīare·mortuos ſuſci-
tare·tūc illi q̇ dicūt̄ ꝟtutes mittūtur. Ad
hoꝝ ḡ ſocietates illi hoīes merito aſſumū-
tur·q ſtrenue ⁊ virilit̄ duob9 p̄dictis·ſ·cō-
tritioni ⁊ ꝯfeſſioni adiūgūt debitā ſatiſfa
ctionē ⁊ ꝯdignā. Vñ Luc iij· dixit Jo-
hānes baptiſta· Facite dignos fruct⁹ pn̄ie
Greg· Vt tāto maiora q̄rāt bonorum
opum lucra p pn̄iaʒ·q̄nto ḡuiora ſibi in-
tulerūt dāna p culpā·tā virilit̄ ſatiſfaciāt
vt cōmiſſis malis ī pōdere numero ⁊ mē-
ſura·ex ſatiſfactiōe cōdigna ſufficiētiqʒ re-
metiat̄·ita vt ⁊ poſt ī obſuatiōe p̄ceptorū
dei virilit̄ ⁊ ſtrenue ſe exerceant ⁊ inſiſtant
opib9 miſericordie·ſcʒ eſuriētes cibando·
ſitiētes potādo·⁊ ſic đ alijs. Et qꝛ talis ſa-
tiſfactio h̄ deſcripta habet maximā diffi-
cultatem·⁊ virili indiget fortitudine·ideo
virtutib9 merito tales apponent̄·⁊ ibi erit
adhuc maius gaudiuʒ·qꝛ ibi cognoſcim⁹
oīpotētiā dei plen⁹·quō ex nihilo oīa cre-
auit·⁊ adhuc mille vel plures mūdos cre-
are poſſet·⁊ quō ſuſtētat mūdū ⁊ oīa crea-
ta ī eſſe ſuo. Quarti dicūt̄ poteſtates·⁊
illi mittūt̄ ad arcendū demones ne in tm̄
tēptare p̄ſumāt·q̄ntū volūt. Et illi iuuāt
nos vincere carnē mūdū ⁊ diabolū. Et ad
iſtū choꝝ aſſumunt̄ illi·q̇ poſt p̄dicta exer-
citia ꝯtritionis ⁊ ꝯfeſſionis ⁊ ſatiſfactio-
nis·p q̄ oīa peccata ſūt deleta·ī artiſſimo
exercitio ſe ꝯſtringūt·aſſumētes aſperaʒ ⁊
auſterā vitā·⁊ p fortiſſimā reſiſtētiā carni·
mūdo diabolo ſe opponūt·ne ⁊ iteꝝ pctīs
M illabāt. Tres p̄cipuos hoſtes habem⁹
omne malū ſuadētes·ſcʒ carnē· mundū ⁊
diabolū. Ex q̇bus duo ſi aliqñ intermit-
tāt·tñ penit⁹ ex toto nō dimittūt· Terti⁹
tñ ſcʒ diabolus ita īexorabili aduſus nos

odio ꝯcitat̄·vt nunq̄ʒ ab eo ad ictuʒ vni⁹
oculi indutias extorquere valeam⁹. Job
vij. Militia ē vita hoīs ſup terraʒ. Pri-
mo enī caro impugnat nos p cōcupiſcen
tias et carnalia deſideria. Semp enī op-
tat voluptuari·ociari·impīguari. Cui re-
ſiſtendū ē potēter nihil ex oīb9 his dimit-
tēdo·niſi q̄ ad ſuiendū deo·⁊ ad victū ⁊
veſtitū ſūt ei neceſſaria·tenētes corp⁹ no-
ſtrū ſic̄ dicit Bern̄· Sicut egrū cōmēda-
tū: cui multa volēti inutilia ſunt negāda·
vtilia etiā nolēti ingerēda. Secūdo mū-
dus īpugnat nos cū delectatiōib9 mūda-
nis·gaudijs ſcʒ diuitijs ⁊ honorib9. Et il-
la reſpuē debem⁹·ſcʒ ꝙ h̄ gaudere ī mūdo
illicite nō velim⁹·vt ī futuro cū deo ęt̄na-
liter gaudeam⁹·hic ſpernere diuitias tem-
pales·vt ī futuro poſſideam⁹ diuitias glo
rie·h̄ fugere honores mūdanos vt ī futu-
ro honorem̄ a chriſto ⁊ ab oīb9 ſanctis et
angelis dei·⁊ ſic đ alijs. Tertio diabolus
nos diuſimode īpugnat. Primo malas
ſuggeſtiones immittēdo· q̇bus ī p̄ncipio
virilit̄ reſiſtere debem⁹. Bern̄·in ſmone.
Poteſt īimicus excitare tēptationis mo-
tū·ſ; ī te ē ſi dare volueris vel negare con-
ſenſuʒ. Secundo temptat nos viciando
nr̄a bona opa. Et h̄ cōtingit trib9 modis
ſm Greg. ſi in p̄ncipio vitiādo ītētionē·
ī medio tēptat p negligētiā· ī fine p īanis
glorię illaqueationeʒ·quos laqueos dia-
boli p diligentē cuſtodiā euadere debem⁹
Et q̄nto bellū eſt fortius ex eo ꝙ q̇libet in-
clinat⁹ ē ad aliqđ vitiū·aut ex natura ei⁹
aut ex actu frequēti·qꝛ ſm Ariſto· Actus
multiplicati generāt habitū·tāto pl⁹ me-
ret̄·ſcʒ virilit̄ reſiſtēdo·imo q̄nto plures
q̇s tēptat̄· tāto plures coronas reſiſtēdo
meret̄. Bern̄. Quotiēs reſiſteris·totiens
coronaberis. Et illi ī illo choro habebunt
adhuc maius gaudiū q̄ʒ ī inferiorib9 cho-
ris. O quale gaudiū tūc habebim⁹ cū illis
militib9·i·angelis q̇ hic aſtiterūt nobis iu-
uare ꝯtra carnē mundū ⁊ diabolū· ⁊ cum
illis ſanctis q̇ hic fortit̄ dimicauerūt ꝯtra
carnē mundū ⁊ diabolū. Quinti angeli
dicuntur principatus. Et iſti ſunt adhuc

ſupiores alijs q̇ mittūtᷣ ⁊ dicūtᷣ ꝑncipatꝰ·
qꝛ ꝑncipantᷣ ſupᷓ totā eccleſiā vel ꝓuinciā
vnā· ⁊ iſti mittuntᷣ ꝓ negocio totiꝰ eccleſię
vl ꝓuīcię qn̄ deo placuerit· ⁊ hūc choꝝ an
gloꝝ meremᷣ ſi ꝑncipatū obtinebimꝰ ſupᷓ
oēs hoīes· Sꝫ diceres quō poſſeꝫ fieri ꝑn-
ceps ſupᷓ hoīes alios· vt illū q̇ntū choruꝫ
mereri poſſeꝫ ∴ Rn̄detᷣ ꝑ patiētiā ſcꝫ vincē-
do omne malū ī bono. Et talē hoīeꝫ totꝰ
mūdꝰ vincere nō pōt· ſicꝫ patet ī marty-
ribꝫ q̊s nec ꝑſides nec reges· nec impato-
res· nec oēs tyrāni vincere potuerūt· ⁊ ſic ď
alijs. Et iſti hoīes q̇ ad iſtū choꝝ poſſidē-
dū veniūt· ſic ſe hn̄t ī terris ꝙ ſi ꝟbis offē-
dūtᷣ· ſcꝫ ipſis maledicēdo· vel dure vl ira-
cunde loquēdo· tūc ipſi econūſo ꝓ maledi
ctione dant bn̄dictionē· ⁊ ꝓ verbis iracū-
dis dant verba dulcia· exēplo chriſti de q̊
ſcriptū ē. j. pe. ij. Cū malediceretᷣ nō male-
dicebat· cū pateretᷣ nō cōminabatᷣ. Sed
diceres· an hō iuſtus ⁊ innocēs debeat ſu-
ſtinere maledictiōes maloꝝ· ⁊ vtꝝ ſibi ali-
q̇d noceāt talia verba maledicta. Rn̄deo
ꝙ nihil ſibi obeſt· imo ſibi ꝓdeſt ⁊ merito-
riū eſt. Vn̄ ps. Maledicēt illi ⁊ tu bn̄di-
ces. Ex hꝫ patet ꝙ deꝰ illā maledictionē ſi-
bi a malo hoīe inflictā· vult ei ꝯūtere ī be-
nedictionē. Vn̄ Augꝰ. Qui iuſtꝰ ē ⁊ ma-
ledicitᷣ· ꝑmiū ei ꝓ maledictiōe redditᷣ· Itē
ſi tales q̇ ad illū choꝝ ꝑtinent ī rebꝫ offen-
duntᷣ· totū deo offerūt· cogitātes ꝙ chri-
ſtus nudꝰ ꝓ ipſis ī cruce pepēdit· nec hau-
ſtū aquę hr̄e potuit· ⁊ ſic dn̄s ieſus chriſtꝰ
remunerabit eos ī vita ęterna. Vn̄ apl̄s
ad heb. x. Rapinā bonoꝝ veſtroꝝ cū gau-
dio ſuſcepiſtis· ſcientes vos meliorē ⁊ ma-
nentē ſubſtantiā hr̄e ī cęlis. Itē ſi lędūtᷣ
in corꝑe hꝫ patientᷣ ferūt· cogitātes paſſio-
neꝫ chriſti qui ꝓ eis multa ḡuia ſuſtinuit.
Augꝰ. Si paſſio chriſti ad memoriā redu
citᷣ nihil ē qꝺ nō ęquo aīo toleretur· imo
tales nō ſolū parati ſūt ꝓ ipſis orare· ſed ⁊
eis bn̄facere. Iuxta illud Math. v. Dili-
gite inimicos vr̄os ⁊ bn̄facite his q̇ oderūt
vos ⁊ orate ꝓ ꝑſequētibꝫ ⁊ calūniantibus
vos· vt ſitis filij patris veſtri q̇ in cęlis eſt.
Sexti angeli dicūtᷣ dn̄ationes· ⁊ illi do

minantᷣ alijs angelis ⁊ ordināt eos ad of-
ficia ſua· ⁊ iſti nō mittūtᷣ ſꝫ ītimāt volūta-
tē dei illis q̇nqꝫ inferioribꝫ ordinibꝫ q̇d fa
cere debeāt. Et vocantᷣ dn̄ationes q̄ſi dn̄i
ſupᷓ alios· ⁊ iſti q̄ttuor chori ſupᷓiores nun-
quā mittūtᷣ ſꝫ ſemꝑ aſſiſtūt ante dn̄m. Et
iſtū choꝝ meremᷣ cū ſenſualitatē nr̄aꝫ rō-
ni ſubijciamus· ſic ꝙ nihil niſi ꝙ rō iubet
agimꝰ· ⁊ ſunt maximi dn̄i q̇ ſeipſos ſciunt
vincē· Et illi ſc̄m Bern̄. hn̄t ſenſus exteri-
ores nō duces ſꝫ ſuiētes· interiores ſobri-
os ⁊ efficaces. In ſignū huiꝰ legitᷣ ī euan-
gelio vt hētᷣ Math. viij. de centurione q̇
dixit. Nō ſū in ꝑtāte ꝯſtitutꝰ hn̄s ſub me
milites· ⁊ dico huic vade ⁊ vadit· ⁊ alij ve-
ni ⁊ venit· ⁊ ſuo meo fac hꝫ ⁊ facit. Centu-
rio· i· rō habet ſub ſe milites· i· potētias aīę
⁊ dicit huic· i· rōnali veni· ſcꝫ cogiſce dr̄aꝫ
intᷣ bonuꝫ ⁊ malū· ⁊ dicit huic· i· iraſcibili·
vade ſcꝫ ſpernēdo malū· qꝺ rōnalis potē-
tia cognoſcit eſſe deſpiciēdū· ⁊ ſuo· i· ꝯcu-
piſcibili· fac hꝫ· i· appete· qꝺ rō dictat eſſe
appetendū· Vn̄ Gen̄. xli. dixit Pharao
ad Ioſeph. Sine tuo imꝑio nō mouebit
quiſqꝫ pedē vel manū ī vniūſa terra ęgy-
pti. Ioſeph· i· rō ſine cuiꝰ imꝑio ſenſuali-
tas nec debet mouere oculū ad videnduꝫ
nec os ad loquēdū· nec pedes ad ambulā-
dū· nec manꝰ ad palpandū· nec aures ad
audiēdū niſi ad id qꝺ rō iubet ⁊ diſcernit
eſſe licitū· ḡ ī talibꝫ hoībꝫ q̇ ad illū chorū
ꝑtinent ſenſualitas ē ſubiecta rōni· ⁊ hoc
oꝑatᷣ plenitudo grę· q̄nto enī cor abūdat
ī gratia· tanto magis rō vincit ſenſualita-
tē· qꝛ cū cor ē plenū gr̄a tūc alia intrare n̄
pn̄t. Sed diceres· quare habemꝰ tot im-
mūdas cogitatiōes· Rn̄deo ꝙ ideo quia
vacuū ē cor nr̄m a gr̄a· ḡ malę cogitatio-
nes hn̄t locū ītrādi ⁊ manēdi ī nobis. Et
ī iſto choro habebimꝰ valde magnū gau-
diū· qꝛ eſſe intᷣ tales magnos ⁊ altos ange
los q̇ ſunt dn̄i ſupᷓ alios· nōne ē magnus
honor ∴ Ibi etiā videbimꝰ pleniꝰ dignita-
tē altitudinē ⁊ magnitudinē glorię nr̄ę· et
q̄m minimꝰ hoīuꝫ in cęlo magis honoratᷣ
⁊ altius coronatᷣ· qꝫ maximus rex in terris
qꝛ ab ipſo chriſto ⁊ maria ⁊ oībꝫ ſanctis ⁊

angelis honorat᷑ i̅ celis· ⁊ q̇libet ꝑticipat
ſecū i̅ oīb᷒ donis ⁊ meritis· ⁊ gloriā ſpealē
N habebit a q̇libet electo i̅ celo. ¶ Septi-
mi angeli dicunt᷑ throni. Et iſti angeli ꝑ̄
ceteris i̅ deo q̇eſcūt tanq̄ꝫ i̅ vltimo fine· ⁊
deꝰ i̅ eis delectabilit᷑ q̇eſcit· tanq̄ꝫ in thro-
no delectabili· ⁊ ipſe i̅ eis iudicia ſua i̅ cū-
cta ſubiecta diſponit. Vn̄ canit᷑: Deus q̇
ſedes ſup thronū ⁊ iudicas eq̇tatem. Si
ḡ cupiemꝰ ad thronoꝝ cōſortia ꝑuenire·
oīa ad regulā iuſticie iudicemus· vt deo
demꝰ eq̇tatē· nobis vilitatē· ꝓximo pieta
tem. Et in illis q̇ ad illū thronūꝫ ꝑtinent
q̇eſcit deꝰ delectabilit᷑ vt ſunt illi q̇ nec in
ꝓſperis eleuant᷑ ꝑ ſupbiā· nec i̅ aduſis frā
gunt᷑ ꝑ impatientiā· ſꝫ oīa a deo equani-
mit᷑ accipiūt· ſiue ſit amaꝝ· ſiue dulce· ſiue
letū· ſiue triſte· q꞉ tales eſtimāt ſe eſſe ma-
los ⁊ dignos oī malo· ⁊ cū patiūt᷑ aliq̇d·
tūc dicūt illud Gen̄· xlij· Merito hec pa-
timur q꞉ peccauimꝰ i̅ fratrē noſtrū ſcꝫ ieſū
chriſtū· nō obediēdo p̄ceptis ſuis. Et ta-
les dicūt cū beato Aug. Hic vre· hic ſeca·
vt i̅ eternū pcas. Et dicūt cū beato Hie-
ro· Libēter nūc tormēta patior vt futu-
ra mihi gloria fuer᷑. Nō enī iudicabit de-
us bis i̅ idipſū. Et tales nō cōmouentur
ad irā· q꞉ nihil volunt niſi qđ deꝰ vult· ⁊
oīa equanimiter a deo recipiūt ⁊ volun-
tates ſuas conformant diuine voluntati·
ergo non turbant᷑. Vn̄ pū· xij· Nō ꝯtur-
babit iuſtū quicq̄ꝫ qđ ei acciderit. Et illo
i̅ choro replebit᷑ omne deſideriū noſtrūꝫ·
Vn̄ p̄s. Qui replet i̅ bonis deſideriū tuū
ꝛc. q꞉ ibi habebimꝰ mēſurā bonā cōfertā
coagitatā ⁊ ſupeffluentē. Vn̄ apl's· Nō
oculus nō vidit· nec auris audiuit· nec in
cor hoīs aſcēdit ꝛc· Octaui angeli dicū-
tur cherubin. Et illi clarius deū vident ⁊
ſpeculū trinitatis. Et dicunt᷑ illuminato-
res· q꞉ alios illumināt ⁊ indicāt eis volū-
tatē dei· q̇d ſcꝫ placeat deo vel diſpliceat
